Quòd expediat Controversiam de Concept. B. MARIÆ. V. Conceptione definiri

Sanctissimo D. N. URBANO Octavo = Pro Oratore Regis
Catholici extraordinario =

Beatissime Pater =

Rex Hispaniarum Catholicus, devotissimus huius Sanctæ Sedis
filius ad tollenda continua scandala et extinguendas perpetuas suorum
regnorum Lites, atque ad confirmandam suorum subditorum erga B.
Virginem devotionem quo potuit affectu et humilitate vestram Sancti
tatem suosque Prædecessores fel. record. Paulum V. et Greg. XV. missis
variis Oratoribus et repetitis Litteris instantissimè rogavit ut tandem
post tot sæcula post scandalosas dissensiones et post molestas Ecclesiasti
corum disceptationes Controversiam circa immaculatam Virginis Concept.
vellent definire. Quod dum illi differendum iudicarunt. Statuta à Sixto
IV Alexandro VI et Pio V. pœnas renovarunt, novas vires addentes
piæ sententiæ, iubentes ut illa sola in publicis doceretur et propone-
retur actibus: deinde ablegarunt etiam a privatis et secretis colloquiis eam
opinionem quæ affirmat Virginem in peccato conceptam. Dum vero nihil horum
sufficisse longo et damnoso comperiat experimento, nunc denuò suos mittit
Oratores et Litteras ut ultimum et unicum definitionis adhibeatur reme
dium. Neque aliud reliquum esse experientia monstravit, atque ante
aliquot gravissimus ac doctissimus Præsul Abulensis docuit, dum ita
scripsit Fuit Beatissima Virgo à peccati originalis maculâ immunis, circa
quod Conventus fratrum Minorum et Prædicatorum antiqua habent
Litigia, et penè cum ipsis suis Ordinibus antiquata; quod fiet procul du-
bio immortale, nisi interveniat Decretum aut sententia Superioris qui habens
potestatem super hoc suam interponat Autoritatem. Eamdem tamquam
unicum malorum remedium petierunt multi à Sancta Sede Apostolica
sed et præcipuè ex ipsis Patribus Dominicanis viri Primates Cardi
nalis Turrecremata omni quâ potuit devotione et flexis genibus, ut
ipse ait, Concilium Basileense dum in sua mansit obedientia sub vero
Pontifice, exoravit ut finem dare vellet huic quæstioni et sane inquit
ex huius quæstionis determinatione magna salus, pax, et tranquillitas et
integritas religionis expectatur in populo Christiano. Cuius verbis et
libro multis superadditis usi sunt postea ad Concilium Tridentinum
Bartholomæus de Spina et Albertus Duimius, uterque Prædicatorum
Ordinis ille sacri Palatii, iste in Sapientia Magister. Secundus idem
sed instantius ab eodem Concilio Tridentino petiit Ambrosius Catha-
rinus Ordinis Prædicatorum tunc Archiep.us Compsen. Illud loquens
de definitione huius Controversiæ ego vehementer exopto, quod et omnes
viri pii et vere catholici de tacere et cæteris summo desiderio a vestra pietate
desiderant, nempe ut ea vestris sententiis decernatis, quæ ad unitatem et pacem
et

Et decorem vniversæ Ecclesiæ faciant. Quam definitionem huius quæsti
onis de Conceptione Virginis superius dixerat esse rem sanctam et christi
anæ fraternitati congruentem, quo imprimis eundem in dogmatibus sensum
eandemque in cultu Dei obseruantiam poscit, quod iterum in fine tractatus in
culcat. His non inferior doctissimus Cardinalis Caietanus, postquam in opus
culo de Conceptione ad Leonem X docuerat res fidei definiri posse a Pon
tificibus adhibito Concilio, vel sine illo, et hanc differentiam solum ad maio
rem solemnitatem vel congruitatem spectare iudicij Agiti. Orat Pontificem
vt tamquam arbiter medius inter vtriusque sententiæ fautores in Sancta
Lateranensi Synodo in hac re Religionis Christianæ veritatem firmiter
amplectendam tradere dignetur. A Caietani vero ætate ita simultates cre
verunt, ita scandala inundarunt, ita etiam crevit populi vniversi erga imma
culatam Conceptionem devotio, celebriusque evasit eiusdem Conceptionis cultus, vt
non immerito vir doctus recenter addiderit, quod singularis devotio, plausus
populi Christiani, celebritas Conceptionis iam pridem instituta videntur suo
quasi iure definitionem postulare; Et certe inquit, vix est aliud dogma defi
nitum ab Ecclesia, quod ante definitionem tanta acclamatione receptum
fuerit. Quod certe multum movere debet Principes et Prælatos vt hanc de
finitionem a summo Pontifice enixe petant.

Ita petit nunc a vestra Sanctitate idem Rex Catholicus, in tumultuo
sissimo et periculoso hoc rerum statu, per quod imminenti Ecclesiæ necessitati et gravi periculo
succurratur, præstando hoc obsequium Beatissimæ Virgini, per quod more suorum
Prædecessorum cupiat eandem sanctissimam Virginem inclinare et devincire ad
succurrendum Ecclesiæ in tot pressuris constitutæ cuius rei multa et præclara
exempla porrecta sunt vestræ Sanctitati in vltimo supplici Libello, qui iterum
simul cum hoc Memoriali vestræ Beatitudini offertur. Interim tamen dum
hoc non præstatur, Rex Catholicus id petit malis applicari remedij et pijs
Virginis cultoribus præberi solatij, vt affirmativæ sententiæ sectatoribus omni
no tollatur libertas de ea vel inter se vel inter alios loquendi; ac totale
et perpetuum imponatur silentium: nec non et eodem cultu et stabilitate eadem
vbique celebrandum statuatur festum eiusdem immaculatæ Conceptionis: et pala
atque aperte declaretur eiusdem festi sensus; nimirum nihil aliud intendere
Sanctam Ecclesiam, quam celebrare Beatissimæ Virginis præservationem a peccato
Originali, ita quod nullo vnquam instanti fœdata fuerit, aut maculata. Porro
quod ita declaretur, aut ita coli præcipiatur, nihil magnum nihil novum
fit aut inauditum; quippe adeo ex se hoc clarum est et manifestum
aliàs ex se, vt nisi essent qui propter tuendum nimis tenaciter suam contra
riam opinionem hoc vellent vocare in dubium, atque ita familiaribus et
sectatoribus inculcare nulla prorsus esset de hac re dubitatio. Primaria enim
festi institutio, Pontificum Diplomata in 1910 iure Canonico expressa, et sensus
communis hominum ita manifeste hoc exprimunt, vt circa hanc Declarationem
faciendam nullus rationabilis scrupulus relinquatur. Quod vero sub hoc
sensu festum hoc inceperit, vel renovatum sit à Sancto Anselmo Cantu
ariensi, ad quem præter Illustrissimum Cardinalem Baronium communi
ter alij Historici referunt originem institutionis seu renovationis in

Eu

Europâ, ex ipsa eius epistola seu Homeliâ quae in Breviarijs antiquis in hoc festo legebatur, plane constat. Praemissa namque duarum distinctione Conceptionum, naturalis in coniugali congressu, et spiritualis in animae creatione et infusione, ad eam quam tantopere in epistola extollit celebrandum, invitat his verbis. Si non placet illis celebrare solemnia Conceptionis carnalis Dominicae Matris, placeat eis colere animae eius spiritualem creationem et corporis et animae copulationem. O quantae dies illa quâ nostrae reparatricis anima digna creatur et sacratur et sanctissimo corpori unitur. Quibus in verbis licet in voce et nomine spiritualis Conceptionis conveniat cum Adversarijs re tamen ac vocis ipsius interpretatione ac explicatione a se praemissâ; nostram seu quam nos naturalem veram et humanam vocamus Conceptionem venerandam et colendam proponit. Ita enim quam spiritualem vocat explicat et declarat. Spiritualis Conceptio est qua spiritualis anima nova et pura Domino operante corpori divinitus datur et coadunatur, quasi actionem ipsam a termino denominet et spiritualem vocet Conceptionem, quia spiritualis tunc creatur et unitur substantia. Unde expresse et clare festi intentionem celebrantium sensum ac Conceptionis mysterium declaravit. Quod nihil aliud est quam animae sanctae digna gratia ornatae in corpus infusio. Et non iam infusae vel anteà corpori copulatae in posteriori instanti sanctificatio. In eodem sensu ad caeteras Europae Ecclesias transfusa est haec festivitas et ad annos quadringentos suprà millesimum facta est comunis, ut constat ex testimonio historiali Decreti Basileensis facti ad annum Domini 1433 licet acephali et illegitimi. In quo refertur Conceptionem non qualemcumque in peccato factam; sed in sensu praeservationis ab Originali et sanctam tam per Romanam quam per alias Ecclesias 6 Idus Decembris antiqua et laudabili consuetudine solitum fuisse celebrari. Quare consequenter et conformiter ad hanc quam retulit Romanae et aliarum Ecclesiarum consuetudinem iam anteà dictum erat in illo Decreto. Doctrinam illam asserentem Virginem à peccato immunem et praeservatam fuisse non solum consonam fidei Catholicae rectae rationi et Sacrae Scripturae; sed et cultui Ecclesiastico fuisse —

Post haec Syxtus IV clarissime videns sub hoc sensu festum introductum emissa Decretali *Cum praeexcelsa* (quae habetur in 6. titulo de reliquijs et veneratione Sanctorum) instituit recitandum peculiare officium et Missam pro eodem festo, in quibus apertissimè hoc ipsum manifestatur. Nam ità expresse in oratione, invitatorio responsorijs antiphonis officij et Missae collectis praeservatio Virginis à peccato inculcatur ut nulla circa hoc remanere possit dubitatio. In primis Vesperis hae sunt primae antiphonae Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias Adae. Tota pulchra es Maria et macula Originalis non est in te. Quae verba in fine octavae Lectionis eiusdem officij tunc a Pontifice propositi recitabantur et in oratione quae per omnes horas et in Missa cantatur expresse dicitur eandem ab omni labe praeservatam

fuisse

fuisse ex morte filij sui praevisa. Quasi enim Sanctissimus Pontifex Ecclesiae voluerit declarare intentionem suam illam Originalem maculam quam D. Antiphona negavit contraxisse simul et omnem aliam Labem procul ab eadem SS.ma Virgine removendo dicit Dominum eam ab omni Labe praeservasse, Originali scilicet et Actuali, quorum utrumque simul ab eâ etiam expressè ablegavit in Quinta Antiphonâ secundarum vesperarum dicens. Haec est virga in qua nec nodus originalis, nec cortex cortex actualis culpae fuit; et ut alia plura eiusdem officij hoc idem testantia omittamus, ipsa verba invitatoria, seu invitantia ad festi iubilum, ad quidnam invitent declarant Immaculatam, inquiunt Conceptionem Virginis Mariae celebremus. Quibus verbis non convocantur fideles ad celebrandam conceptionem moraliter immaculatam sive in primo sive in secundo instanti; sed in omnibus et singulis momentis sanctam, quippe quae non fuerit sanctificata à contracto: sed praeservata à contrahendo peccato. Unde et ad Christum Mariae filium, qui eam ita praeservavit adorandum et collaudandum fideles invitantur. Christum, inquit altera invitatorij pars, eius Praeservatorem adoremus Dominum. Praeservatorem à contrahendo; nec Liberatorem a contracto; Christum qui Virginem praeservavit à maculâ non qui sanctificavit infectam adorandum volunt hoc verba. Et in Missa propria eiusdem festi quae incipit Egredimini (qua statim ab eiusdem institutione ad Pij V tempora plus quam per centum annos Romana Ecclesia in suis Officijs usa est, ut ex illorum temporum Missalibus constat. Cum in ijs haec nostra Missa tam in primâ, quam in secreta Oratione. B. Virgo ab omni peccato praeservata et immunis dicitur et ipsa eiusdem Conceptio immaculata vocatur: quibus et alijs crebessimis eiusmodi verbis, quibus totum genè respersum est officium evidentissimè patet festum Praeservationis ab Originali peccato celebrari =

Fuerunt tamen qui huic officio se vellent opponere et non sine magna festi et Pontificis iniuriâ violenter interpretari, atque in contrarium interpretari ea quae nullam admittebant explicationem. Insuper ex suis fallacibus et temerarijs comentis inferebant ipsum quod aliqui hoc tempore nullo cum fundamento voluerunt etiam inculcare; videlicet non praeservationem Virginis a peccato, sed sanctificationem à Labe contracta non Conceptionem naturalem in Sanctitate factam sed spiritualem qua a peccato contracto sanctificata est celebrari, et qui aliter faciebat vel sentiendum docebat seu praedicabat hereticum esse et mortaliter peccare =

His temerarijs ausibus obviare volens, idem Pontifex, alias Pontificias litteras dedit incipientes Grave nimis quae habentur etiam

in

in corpore in 6 Tit. de reliquijs et venerat. Sanct.) in quibus proposi
tiones illas Adversariorum falsas et erroneas et a veritate penitus
alienas esse decernit, non aliam assignant rationem, quam quod Romana
Ecclesia de intemeratâ semper Virginis Mariæ Conceptione festum solem
niter celebret et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit
Reprehendit ergo eos, ac condemnat eorum assertiones, quia condemna-
bant pro hæresi quod Ecclesia celebrabat, et eos qui illud quod Ecclesia
suo cultu profitebatur celebrant, hæreticos dicebant, ex eo quod hæreticum
putabant dicere Virginem fuisse sine peccato conceptam. Unde consequen
ter et immediate inferre necesse erat Ecclesiam in suo cultu hæresim
amplexatam fuisse, eamque fidelibus in suis festivitatibus propinasse. Re
fert eorum propositiones, quibus expresse condemnāt defendentes immunitatem
Virginis a peccato Originali ac tandem celebrantes; et his opponit Eccle-
siæ festivitatem, propter quam iudicavit SS.us Pontifex abstinendum ab
huiusmodi assertionibus et illis sufficere debuisse videre Ecclesiasticum de
Conceptione immaculata cultum, adhoc abhorrerent et vererentur simile
quid proferre. Ita hanc Extravagantem intelligunt Aegidius de Præ
servat.e L. 5 de præservat. Virginis q.e 6 art. 1. §. 4 Vasquez Tomo
2 in 3 P. q.e 27 Disp.e 117 cap. 5 n.o 166 Suarez Tomo 2 in 3
P. Disp. 3 sect. 5 § iam vero Maior in 3 dist.e 3 q.e 1 Canis. Lib.
1. de B. Virgine cap. 7 Ludovicus de Carvajal in respons. ad object. 1 et 2
Controversiæ Virgineæ Conceptionis. Io. Bap.ta Lezana in Apologet. pro Concept.
cap. 18 et ferme omnes qui post Sixtum de hac Controversia scripserunt
Vide Cordubam in Quæstionario q. 44 Suarem citatum §. Secundum fundam.
Morales de Christo et Virgine L. 3 tract. 1. q.e 40 Bellarminum L. 3
de cultu Sanctorum cap. 16 Vincent. Iustinian. tractat. de Concept. §. 3.
Aegidium citatum §. 3 et passim Theologos. Aliter namque sin in hoc sensu
non celebraretur ex Conceptionis festo et Ecclesiastico cultu futiliter et in
efficaciter argumentaretur sapientissimus et doctrina spectatissimus Pastor
dum facile respondere potuissent Adversarij se nihil contra Ecclesiæ cultum
dixisse, quippe quæ non præservationem Virginis à culpa; sed Sanctificationem
ab eadem celebrabat seque proinde nihil quod eidem derogaret affirmasse.
At omnem huiusmodi evadendi viam præclusit Pontifex dum ex Ecclesiæ
ritu, et ex eo quod festum Conceptionis instituisset propositiones illas
adeo severè reiecerit, ut non solum falsas sed erroneas nuncupaverit. Nihil
autem apud Theologos erroneum dicitur quod aliquomodo saltem indirectè et
mediatè, alicui non opponatur fidei principio. Illud vero apud verè catholicos
notissimum est et indubitanter receptum Deum semper suæ Ecclesiæ assistere
neque eam aliquando permisisse, aut in æternum permissurum in suis defi
nitionibus vel in communi et universali suo cultu hæresim amplecti, vel
in doctrina Catholica errorem. Propositiones illæ huic non immediate oppo

nuntur

opponuntur, non enim expresse et data opera hanc negant veritatem; sed a=
liud affirmant ex quo consequenter et mediate veritas illa erat neganda.
Affirmat namque Pontifex